

CAROLVS

DVX MEGAPOLI
TANVS



A N N O

M D X C I I

8
13
Q13



C. e. 19

Ursprung. Disposition

oo

Nel

Gesch. & Geograph.

X, 1109.

~~2A. B, 1109.~~

Script. lat. recitat. in Octavo

~~NO 40~~

ORATIO

IN FVNERE

Illustrissima Principis

ANNÆ SOPHIÆ,

coniugis IOHANNIS AL-

berti Ducis Mega-

politani.



EST Imonium prouidentiae
ac praesentiae Dei, in Heroi-
ca Ducum Megapolitano-
rum familia, eximium &
singulare agnosco, & gratam
mente ac voce praedico, quod multis iam
seculis, inclytam horum Principum stir-
pem, continua serie, per illustres Heroas
certa sancti coniugij lege ac ordine sibi
mutuo succedentes, usque ad Illustrissimos
& optimos Principes IOHANNEM
& SIGISMUNDUM AVGVSTVM
fratres, quorum ille cum Illustriss. Prin-
cipe patruo VLRICO, Senatus Impe-
rij Germanici Nestore, patriam hoc tem-
pore gubernat, clementer propagavit. &
inter varias ac multiplices imperiorum
ac totius generis humani mutationes, &
familiarum Regiarum interitus (vt nostra
Mentis

A 2

& pa-

& patrum memoria, Hispaniæ, Vngariæ,
Angliæ, Lusitaniæ, & recens Poloniæ,
regnorum stirpes masculas, funditus ex-
tinctas vidimus) non interruptâ vsquam
sanguinis serie, conseruauit ac defen-
dit.

Vsus est autem Deus, autor mirandi
ordinis, quo per Principes ac Heroas, re-
liquam hominum multitudinem regit
ac tuetur: ad hanc propagationem He-
roicæ domus Megapolitanæ, nostro tem-
pore, Illustrissima Principe & Dominâ,
Dn. ANNA SOPHIA, clarissimi &
optimi Principis, IOHannis ALBERTI,
Ducis Megapolitani, cuius memoria in
benedictione & laus in Ecclesiâ sancto-
rum est, coniuge nobilissimâ, tanquam
organo salutari, in progignendis Princi-
pibus has terras Megapolitanas regenti-
bus, & ad omnem posteritatem, Deo be-
nedicente, gubernaturis. Cumq; cæte-
ras foëminas Principes, quæ nostra ætate
Ducibus Megap. nuptæ floruerunt &
florent, alias alijs donis egregiè ornarit:
tamen peculiarem ac eximiam hanc Be-
nedictionem soli huic Illustrissimæ ma-
tronæ tribuit, vt Principum Patriæ pro-
creatrix, & Ducum Megapolitanorum,
qui ad posteritatem Patriæ præfiderent,
mater existeret.

Meritò

Meritò igitur Illustrissimam hanc
Principum patriæ matrem morte à nobis
auulsam lugemus, & illius filijs Princi-
pibus Illustrissimis, IOHANNI & SIGIS-
mundo Augusto fratribus, & leuiro VL-
rico, ducibus Megapolitanis, & Gloris
filio, VVILHELMO, Curlandiæ in
Liuania Duci, Illustri præsentia sua, hoc
funus cohonestantibus, Dominis nostris
clementissimis, in hoc publico totius
patriæ luctu, singuli doloris nostri socie-
tatem, & mœstitiæ ac amoris significatio-
nem, omnibus, quæ à nostrâ subiectione
& reuerentiâ proficisci possunt, officijs
declaramus, & lachrymis tegimus per-
fusa fidelibus ossa.

Et si autem dolore ac fletu, amorem
& desiderium erga defunctos nostrum
ostendere iustum est, & pietatem in luctu
Deus probat: tamen cum non casu, sed
certo Dei consilio & voluntate, vita no-
bis detur & auferatur: & in verâ inuo-
catione & fiducia filij Dei, datoris vitæ
præsentis ac æternæ, hinc discedentes,
certum sit, ab omnibus molestijs & mise-
rijs liberatos, in æternam & beatam Dei
ac Ecclesiæ cælestis consuetudinem trans-
ferri: vicissim nos cogitatione volunta-
tis Dei & bonorum, ad quæ euocantur
in Domino morientes, dolori moderari

Deus præcipit, & memoriam benemeritorum ac virtutis defunctorum gratos tueri ac prædicare.

Cùm igitur in hoc Illustrissimæ Principis ANNÆ SOPHIÆ funere, Orationem habere iussus sim: decreui Deo iuuante, breui elogio, primùm Natales seu Parentes, dein Pietatem ac mores Principis defunctæ, postremò beatum & placidum ex hac vita exitum celebrare. DEVM precor, vt dicentis mentem ac linguam gubernet. & à totâ hac Illustrissimorum Principum, Procerum, nobilium, & cæterorum doctrinâ & virtute præstantium coronâ, reuenter peto, vt dicentem clementer & benignè audiant.

Erst autem ineptè fortassis laudem ex maiorũ virtute peti aliqui censent, qui genus & proavos & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra putant: tamen verius existimatur, in familijs Heroicis, quas Deus reliquæ hominum multitudini præfecit, motus etiam animorum meliores, ac feliciores, & vim naturæ præstantiorem propagari. & stirpes ac Genealogias familiarum, ex quibus illustres Reges ac Principes orti sunt, studiosè inquirere ac peruestigare: non ipsis solùm Principibus, maiorum suorum nomina & virtutum

tutum exempla recognoscentibus, iucundum: verum etiam omnibus in Republica versantibus necessarium, imò pietatis & Honoris, Deo & magistratibus, quos suo loco nobis regendis & tuendis, velut Patres, Deus præfecit, debiti, & in quarta Decalogi lege mandati, pars præcipua meritò habetur.

Nata est igitur Illustrissima Princeps ANNA SOPHIA, ex parentibus, non modo Heroicâ generis Regij nobilitate, verum etiam eximiâ in Deum pietate & virtutis gloriâ præstantibus, patre ALBERTO, primo Borussiae Duce. Qui Friderici marchionis Brandenburgensis filius, ALBERTI verò electoris Brandenburg. quem ob excelsi animi magnitudinem & fortitudinis bellicæ præstantiam, Germanicum Achillem Itali indigerarunt, nepos fuit, ac ut nomê Alberti, sic femina virtutis Heroicæ ab auo accepit. Cumq; ex Sophiâ, Casimiri Poloniae Regis filiâ & Sigismundi I. forore susceptus esset: Ordinis in Borussia Teutonici fratres, quod consanguinitatis vinculum, mutæ etiam cum Polonis, qui proprietatem & dominium Borussiae directum ex transactione sibi venditabant, amicitiae & pacis nexum fore sperarent: post Friderici Saxoniae Ducis (qui electo-

rum Mauritij & Augusti patruus fuit) obitum, huic Alberto Marchioni Brandenburgico, iuueni magnanimo, & omnia summa de se pollicenti, summum ordinis in Borussia magisterium detulerunt. Quem, cum Romanus Imp. & Imperij Senatus, vt Principem Cæsari ac imperio deuinctum, Polono non iurare, nec Borussia Imperij prouinciam alienare iuberent: fretus Romani Pontificis & Imperij mandatis, & Germanicę nobilitatis, aliorumq; Principum auxilijs promissis, amplius duodecim annis Borussia imperio Romano seruauit. Sunt autem post
1519. bellum, quod ei Poloniae Rex auunculus
1520. ea de causa intulit; inducię quadrien-
nij secutę, intra quas, arbitri vtrimq; de-
lecti, Carolus V. Imperator, vel Ferdinandus frater, & Ludouicus Vngarię Rex cum adiunctis, controuersiam amicę componerent. Absente autem procul in Hispania multis annis Carolo, & cęteris Principibus arbitris regnorum suorũ negocia subinde prætextentibus ac impeditis, Albertus quantumuis sedulò instans, deserere se videns, nec suis viribus potentis. regi diutius resistere valens; necessariò tandē ad extrema consilia, vel iurandę pacis perpetuę, olim cum Casimiro Poloniae rege initę, vel Ducis Borussiae

russiae tituli à Poloniae rege accipiendi,
& in liberos aut fratres Casimirum, Ge-
orgium & Iohannem transmittendi, de-
currit.

Itaq; Dux Borussiae Hæreditarius à
Poloniae rege Sigismundo I. solenni ce-
remoniâ anno 1525. die 10. Aprilis re-
nunciatus, eodem anno Dorotheam Fri-
derici I. Daniae regis filiam coniugem
duxit. ex quâ biennio post Illustrissimam
hanc Principem ANNAM SOPHIAM, 1527.
cuius nunc exuias mœsti in terram de-
ponimus, procreavit. de qua priusquam
plura dicam, patruos illius, Alberti I.
Borussiae Ducis fratres, qui suo ordine ad
successionem Ducatus Borussiae simul
admissi sunt, ordine recensebo. Fœcun-
dissimum enim Principis illius marchio-
nis Friderici & Sophiae Polonicae coniu-
gium fuit. ex quo, duodecim filij Prin-
cipes, & septem natae, omnes ferè viris
Principibus elocatae, ortum habuerunt.
Ex filijs primogenitus Casimirus, bellicis
laudibus illustris, sub Maximiliano I.
& Ferdinando, cuius auspicijs in Vngaria
aduersus Ioannem de Zapolia, exercitum
ducens Budæ decessit: pater Alberti Al- 1527.
cibiadis illius Germaniae, quem adhuc
adolescentem Borussiae Dux patruus,
dum superstite filium ex primâ coniuge
A 5 nullum

7
nullum retineret, successorem sibi illa
adhuc viuente constituerat; eaq; defun-
cta, ducentis millibus aureorum placar-
rat: cum spe heredis masculi suscipiendi
Annam Mariam, Erici Brunf. filiam du-
cere senex decreuisset, ex qua praesens
Borussiae Dux Albertus Fridericus, pa-
tris & aui paterni nomen referens, sus-
ceptus est. alter patruus Georgius, apud
Vladislaum Vngariae regem auunculum
educatus: & Ludouici regis adolescentis
aulae magister, eaq; occasione Ducatibus
Silesiae, Iegersdorff, Ratibor, & Oppeln
donatus est: Is singulari pietate, con-
stantia & Zelo puriorem Euangelij lu-
cem amplexus, constanter coram Caesare
Carolo & toto imperio confessus est: Pa-
ter Georgij Friderici, Borussiae hoc tem-
pore curatorio nomine administrantis.
IOANNES tertius Alberti Borussiae
Ducis frater, Caroli V. aulam in Hispa-
nia secutus est, vbi relictam a Ferdinando
Hispaniae rege, Caroli V. auo materno,
& postea a Ferdinando Calabriae Duce
viduam, Germanam Foixiam, ex Galliae
regis Ludouici XII. sorore natam, Caro-
lus V. caesar, ipsi in matrimonium tra-
didit. Praeter hos sacerdotijs opulentis
onusti FRidericus praepositus VVurce-
1536. burgensis in expeditione Gallicâ Geneue
extin-

extinctus. **VVIL**helmus archiepiscopus 1563.
Rigenfis in Liuonia, qui olim Christo-
phorum Ducem Megapolitanum coad-
iutorem sibi adsciuit. Iohannes Albertus 1555.
Archiep. Magdeburgensis & Halberstad.
Gunibertus Leonis X. Camerarius &
cæteri; omnes Alberti Borussiae Ducis
fratres, & nostræ Dominae, iam in Domi-
no quiescentis, patrui, fuerunt.

M A T E R verò Illustrissimæ Prin-
cipis defunctæ, **D O R O T H E A**, Fri-
derici I. Daniae regis optimi & laudatif-
simi filia fuit. cui Friderico, tantum vir-
tutis, sapientiae, fidei, industriæ, mode-
rationis & diligentiae in omni officio,
regni Daniae ordines tribuerunt, vt tur-
bato intestinis dissidiis regno, & Chri-
stiano rege profugo, vnus Friderici,
regio patrociniò & tutelæ potissimum,
suam libertatem & salutem tuendam
commiserint. nec expectatio de regis
virtute concepta eos fefellit: cui felicib.
in tota gubernatione & defensione regni
successibus, & virtute excellentium filio-
rum & filiarum flore Deus benedixit.
Nam ex prima coniuge Anna, filia Io-
hannis electoris Brandeb. Christianum
III. Daniae Regem, pietate, & sapientiâ
præstantem, & hanc Dorotheam genuit,
Alberto primo Borussiae Duci nuptam, 1525.
matrem

matrem Annæ Sophiæ: quæ, vtriusq;
auiæ, maternæ Brandeb. & paternæ Ca-
simiri Poloniae regis filia, nomina iuncta
possedit.

Ex alterâ tori consorte Sophiâ, præ-
stantissimi Herois, Bogislai X. Pome-
rania Ducis & Annæ, eiusdem Casimiri
Poloniae regis filia, inclytos Holsatiæ
Duces, Ioannem, Adolphum, Fridericû,
& Heroinas sorores, idem pater Frideri-
cus Daniae rex progenuit. Quare Doro-
thea Borussiae Ducis coniunx, Annæ
Sophiæ mater, Adolphi Holsatiæ Ducis
soror consanguinea, & Sophiæ, in Illu-
strissimi Principis nostri IOhannis Ducis
Megapol. coniugio iam viuentis, & Prin-
cipes patriæ, in præcedentium vestigia
successuros, felicibus & fœcundis partu-
bus edentis, amita fuit. soror item Elisa-
bethæ, coniugis primæ Illustrissimi Prin-
cipis & patris nostri, VLRICI Megapol.
ingenio, prudentiâ & omnibus alijs Re-
giæ matronæ virtutibus ornatæ; & Do-
rotheæ iunioris, Christophoro Duci
Megapolitano olim coniunctæ.

Fuit etiam optimi & pacifici Princi-
pis & patriæ patris, HENRICI Ducis Me-
gapolitani prima coniunx VRsula, Annæ
matris Dorotheæ Borussiae Ducis soror,
ex qua ingeniosum & præstantem Prin-
cipem

cipem Magnum, priorem Elisabethæ
Holsaticę maritum Henricus genuit. Qui
Dux, veræ religionis, iusticiæ, & pacis
publicæ in his terris, quinquaginta con-
tinuos annos patriam gubernans, custos
diligens ac fidelis, prudentia, virtute &
autoritate in toto imperio floruit: à quo,
ego in Scholam Rostochiensem iuuenis
primùm vocatus: & funeri illius, in hoc
ipso templo, Idibus Februarijs, anno ab-
hinc quadragesimo labente, iussus, Ora-
tione mea parentavi. Qua occasione in
Illustris. Principum, Fratris ipsius Filio-
rum, IOhannis Alberti & VLrici, qui post
eum patriam rexerunt, notitiam ac bene-
uolentiam primum perueni. Quare Illu-
strissimi & optimi Principis Henrici me-
moriæ, iam in patria etiam senescenté,
in hac Heroum & Heroinarum, qui ter-
ras Megapolitanas proximis superiorib.
annis rexerunt, commemoratione, præ-
terire nequaquam debui.

Cùm autem tot bonos & salutare
principes, ac Heroinas virtute præstantes
non Arctoïis solùm insulis, sed huic etiam
Germaniæ parti, & Ducatui Megapoli-
tano, ex vnâ hac Regum Daniæ & Ducū
Holsatię stirpe nobilissimâ, Deus dederit:
gratias ei quantas maximas capere ani-
mus noster potest, reuerenter agamus, &
arden-

ardentibus votis precemur, vt totam hanc inclytam regum Daniae & Ducum Megapolitanorum & Holsatiae Principum familiam clementer protegat, seruet & gubernet.

1544. Nunc ad Dorotheam, Dominæ defunctæ matrem, redeo. Quæ cum marito Borussiae Duce, viginti duos annos, in coniugio pleno pietatis, concordiae & suauitatis vixit. ac, vt Placilla Theodosij coniunx, marito, ad Christianæ pietatis doctrinam sinceram in toto Borussiae ducatu plantandam, & Academiam, velut salutarem & perennem fontem, ex quo veræ de Deo doctrinæ & religionis sinceræ, omniumq; honestarum artium vitæ necessariorum riuuli, in totius Ducatus Ecclesias, templa, scholas, curias, & priuatorum familias deriuarentur, REGIO monte condendam, assidua hortatrix fuit. & propter beneficentiam ac liberalitatem erga inopes φιλόπρωχ^ο nuncupata est. Nec sterile aut expers sobolis masculæ illius matrimonium fuit. Duos enim filios, Fridericum & Albertum, aui materni & patris nomen referentes, partu vitali in lucem edidit, & quinque filias, Annam Sophiam, Catharinam, Luciam, Dorotheam, Elisabetham. Quos omnes, in prima pueritia, puros, & nullo istius
nobis
teme-

temeratos crimine mundi, vt Paulini
versibus vtar, sed breui functos mortalia
seculo, vt citò diuinas perfruerentur opes,
rursum ad se Deus euocauit; excepta
primogenita ANNA SOPhia, Quæ sola
superstes, cum ab his Heroicis parenti-
bus, semina & igniculos virtutũ accepis-
set; sapientis & sanctæ matris præcipuè
diligentiâ, assuefactione, disciplinâ, præ-
ceptis, admonitionibus ac Exemplo, ad
amorem pietatis & veræ de DEO doctri-
næ, ad quotidianam auscultationem ver-
bi diuini, ad exercicia piarum precum &
Gratiarum actionis assidua, ad pudoris
casti decus, ad Temperantiam, modestiâ,
verecundiam & grauitatem morum Re-
giæ virgini conuenientium (vt verè ac
venustè sapiens ille, Non formam, sed
mores esse dixit, qui ornet fœminam)
instituta & educata est. & matrem Doro-
theam veræ pietatis ac virtutis speculum
ac exemplum principis fœminæ, omnib.
dotibus matronæ Regiæ conuenientibus
ornatæ ac perpolitæ, vsq; ad vicesimum
ætatis annum, vitæ ac morum rectoricem
peritissimam ac fidissimam, habuit. Qua
ex his terris euocata, cum pater vnica
hanc filiam habens, desiderio prolis ma-
sculæ & hæredis imperij, alteram con-
iugem Annam Mariam, Illustrissimi Prin-
cipio

1547.

1550. cipis ERici Ducis Brunsvicensis filiam,
secundo coniugio sibi iungeret: in ipsis
nuptijs, Anna Sophia, Illustrissimo &
optimo Principi, IOHanni Alberto, Duci
Megapolitano, qui inter cæteros Princi-
pes sacrum illud nuptiale præsentia sua
cohonestabat: Deo amorem virtutum
virginis Principis, in ipsius pectore ac-
cidente, desponsa est.

Florebat tum inter Germaniæ Prin-
cipes, Iohannes Albertus, excellenti ad
virtutem & res gerendas indole prorsus
Heroica, & veræ religionis ac literarum
amore, & libertatis ac salutis publicæ
vindicandæ Zelo singulari. Itaq; vrbi
Magdeburgensi, eo tempore, ob con-
stantem veræ religionis & libertatis suæ
defensionem, iussu Caroli V. Cæsaris ab
imperio obsessæ, opem ferre, conscriptis
militum copijs, conatus est, Quas sub
Heidecco & Mansfeldio militantes, Dux
Mauritius ad Verdampostea, non ante
ad se traduxit, quam Duci Iohanni Al-
berto promisisset, se Magdeburgam in-
columem conseruaturum, & religionem,
quam ipse & illi profiterentur, aduersus
quosuis defensurum esse. Postea in ipsis
castris ad Magdeburgam fœdus inter se
& cum Galliæ rege principes, aduersus
1552. Carolum icerunt, ac sequenti anno, bellū
ipsi

ipsi inferentes, Pacem religioni perpetuam, & libertatem Imperio antiquam, & principibus captiuis ex diuturna custodia solutis, conditionem pristinam recuperarunt.

Ioannes Albertus, quanquam ipse in bello absens, domi tamen interea, per delectos consiliarios & ministros, Ecclesias & scholas in præcipuis urbibus inspicere ac rectè constitui curabat. & sequentibus annis, restituta patriæ tranquillate, unà cum Illustrissimo principe Ulrico fratre Rempublicam administrans, Iusticiam & pacem publicam in hac ditione, constituto publico principum IVDICIO: ACADEMIAM, veræ de Deo doctrinæ, iuris & cæterarum artium & linguarum officinam & Fontem augustum: ordinem ministerij & gubernationis Ecclesiasticæ, distinctis inspectorum officijs ac diocesium, & consistorio illis præfecto, & cætera huius Reipublicæ ornamenta & bona eximia, his terris tribuit.

Cum autem & bellis, Magdeb. & 1551.
Carolino, & postea turbis ac tumultibus 1552.
intestinis, & alijs impedimentis, Princeps
sponsus distineretur, Nuptiæ in quintum
annum dilatae sunt: donec tandem rebus 25. Febr.
compositis, ineunte anno 1555. ab Illustrissimo Borussiae Duce patre, sponsa in
B mariti

mariti ditionem deducta, & solennitate Regia, nuptiali sacro VVismariæ peracto, cohabitare marito cœpit. A quo tempore imprimis conspicui illius virtus, velut in illustri loco & speculâ sublimi omnibus præluens, potuit. Ut enim Sol in excelso cœlo, Mundi totius lumen ac decus est: sic principis coniunx pia, intelligens, benefica, Rempublicam & subditos materna *σοφῶν* complectens, Nutritia ecclesiæ & pauperum, non modò priuatim domus suæ & mariti principis corona, verùm etiam totius Reipublicæ ac Regionis lumen & ornamentum est totis gentibus salutare.

Cùm autem sanctissimum pectoris humani bonum, & virtutum omnium cæterarum mater sit FIDES erga DEVM ac pietas sincera: ad quam à teneris vnguiculis, princeps nostra, à pijs & Deo caris parentibus adsuefacta erat: toto etiam vitæ tempore deinceps, non in templis solùm assiduè & attentè veram de Deo ac redemptore nostro Iesu Christo doctrinam cum marito audiuit: verùm etiam domi, singulis diebus, certas horas, lectioni librorum verbi diuini, per quod solum DEVS veram sui agnitionem & firmam consolationem in omnibus ærumnis accendit, & iustitiam & salutem æternam

æternam pijs lectoribus tribuit, impendere solita est. ac verè, iuxta Pauli præceptum, **HABITAVIT** in huius Dominae cubiculo & pectore **VERBUM** Christi abundè. Non fuit ignotus & rarus hospes Doctrina Christi in principis nostræ Gynæceo, sed quotidianus & familiaris convictor. ac ut in domo, maritus, liberi & cæteri domestici, cum quibus quotidie colloquimur, & consilia & curas omnes communicamus, notissimi sunt: ita familiarissime cogniti & perspecti nostræ dominae libri doctrinae Christi fuerunt. Iam vbi hæc doctrina habitat, assidue legitur, auditur, pie discitur, fide accipitur, & ad regenda vitæ consilia & actiones adhibetur: ibi verè **CHRISTUS** ipse in corde, tanquam domicilio & templo suo habitat, & cor sibi simile ac conforme reddens, ad vitam æternam sanctificat. Scimus passim in aulis, fœminas & virgines Regias, non Biblijs et Psalmis, sed ineptis & futilibus fabellis, de Amadeo, Malufina, Ponto & similibus legendis, horas fallere & se oblectare. At nostræ principis Gynæceum, veræ pietatis & doctrinae Christi, & lectionis librorum verbi divini & piarum explicationum, & pudoris, verecundiæ, sobrietatis & quotidianæ inuocationis schola erat.

Certas enim singulis diebus horas,
Psalmorum & piarum precum recitatio-
ni, Domina nostra tribuebat. cum ad
hunc præcipuum & summum finem, ho-
mines à Deo conditos, & per filium re-
demptos esse intelligeret: vt Deum ve-
rum ex verbo suo agnitum, serio & ar-
denti motu cordis INVOcent ac cele-
brent. Ideoq; gratissimum Deo cultum,
& quidem solius ecclesiæ proprium esse,
DEVM prælucente vera agnitione &
fiducia Christi mediatoris inuocare, & in
omnibus periculis ad eum tanquam pa-
trem *Πατέρα* confugere, & liberatio-
nem ac omnia bona ab eo, firma fide ac
spe expectare. vt testemur serio nos agno-
scere & profiteri, DEVM, non esse inane
nomen, non negligere homines: sed
verè adesse nobis præsentem ac opitula-
torem, verè curare, exaudire, iuuare in-
uocantes, & autorem ac datorem esse
omnium bonorum & liberationum ac
beneficiorum, quæ quotidie in nos cu-
mulate effunduntur. Itaq; non satis esse
ducebat Domina nostra, solo gemitu
Deum precari, vt vulgo multi ignavi,
remulenti & securi, negligentes recita-
tionem, in ore habent, motu cordis, non
labiorum: & gemitibus potius quàm ser-
monibus: affectu magis quàm affatu,
preca-

precariones peragi. Ideoq; Christum
ipsum longas precum iterationes prohi-
bere.

Imò, inquit Domina nostra, Christus
ipse, & Spiritus sanctus per Dauidem in
Psalmis, formas precationis & Gratiarum
actionis & Laudum diuinarũ certas, ideò
nobis præscripsit, vt crebrò & attentè eas
legamus & pronunciemus, & hac ipsa re-
citatione, nos de multis magnis rebus,
quas in precatione cogitari necesse est,
de vero DEO, in Ecclesia certo verbo &
testimonijs miraculorũ patefacto, quem
solum, non commentitia ethnicorum
numina, compellare nostra oratione iu-
bemur: de mandato Dei, de promissio-
nibus, exemplis, & rebus petendis com-
monefaciamus: & fidem, inuocationem,
spem, patientiam, Gratiarum actionem,
& cæteras virtutes ac motus pios, exusci-
temus, alamus, & ardentiores ac firmio-
res reddamus: & nostram confessionem
de Deo nobis præfente & preces nostras
exaudiente, & nos ex periculis liberante,
coram angelis, coram Ecclesiâ in publicis
congressibus, coram nobis ipsis & nostra
familia, contra hostes Christi diabolos ac
epicureos edamus. vt assidua hæc com-
memoratio & professio beneficiorũ diui-
norum alat, confirmet & augeat in nobis

Fidem agnoscentem & profitentem verè
esse DEVM, sapientem, iustum, veracem,
bonum, beneficum & omnipotentem, qui
verè nos curet, defendat, & iuuet inuo-
cantes, & in tali agnitione & fide perse-
ueremus, & DEVS non desinat se &
omnia sua bona nobis communicare.
Propter hanc grauissimam causam, exer-
cicia recitationis precum & laudum di-
uinarum quotidiana, Princeps nostra ser-
uabat. & Fidem in Deo sibi propter filiū
mediatorem propitio firmiter & tran-
quillo animo adquiescentem, & DEO
obtemperantem, omnibus pietatis offi-
cijs, erga Deum, maritum, liberos, & sub-
ditos, toto vitæ tempore testabatur.

In coniugio, præcipua Dominae
nostræ sollicitudo & cura fuit, vt mari-
to principi, animum & studium subiectif-
simum, conjugalemq; fidem & amorem
sincerum & ardentem, omni officio,
reuerentia & suauitate declararet. eiq;
grata dicere & facere ex animo studeret.
nec vllis se, instar Vlyssis illius stolati, ne-
gocijs publicæ gubernationis curiosa
immisceret. Cùm enim ad simplicita-
tem, quietem, modestiam, morumq;
grauitatem, non studio solùm & discipli-
na, verùm etiam naturâ, seu potius Deo
ipso gubernante, duceretur; ab omni
fastu

fastu & curiositate aliena, spiritu verò
miti ac leni prædita erat: nec villæ in eâ
moris liberioris aut lasciuiaë significatio-
nes vnquam animaduersæ sunt. sed tota
vita exemplum erat dicti Psalmi, Simpli-
citas rectumq; tuum, mea cura, meum
cor.

Filios, marito Principi, domus Me-
gapolitanaë columnas & propagatores
futuros, vt effigie & lineamentis faciei,
sic Heroica bonitate & virtute patri si-
miles, peperit Illustrissimos Principes
& Dominos, Dn. IOHANNEM, &
Dn. SIGISMUNDVM AV-
GVSTVM, Quos, in hoc illustri cœtu,
generosissimæ matris decessum, non
pullo vestitu & lachrymis solùm, sed ve-
ro & acerbo cordis mœrore lugentes, co-
ràm videmus. Tertium verò & primo-
genitum Dominaë nostræ filium, Alber-
tum, ex quo adhuc infante, mirifica vir-
tutis indoles relucebat, apud auum ma-
ternum, in Borussia, vix quinquennem,
arcano Dei consilio & voluntate rebus 1562.
humanis exemptum meminimus. Hos
liberos mares, quibus nihil dulcius ho-
minũ generi à naturâ datum est, in primâ
infantiâ, non peregrinis nutricibus, alen-
dos locauit, sed ipsa eos fouit ac eduxit.
& omnes interdium & noctu, labores, vigi-
lias

galias & molestias, primo biennio aut triennio, donec confirmaretur ætas tenera, necessarias; ipsa, prompto & indefesso animo, & diligentia ac fide verè maternâ, sponte subiuit.

Nec erga liberos solùm ex se natos, sed domesticis etiam ministris & virginibus aulicis, omnibusq; subditis, suo ordine, conuenientem beneuolentiam & σοφῶν maternam veris officijs declarauit. Virgines aliquot nobiles, quæ in Gynæceo aliquandiu modestè seruierant, & ancillas etiam pauperes, addita dote, matrimonijs honestis elocauit. Quas non ad ocium, voluptates, delitias, & luxum assuescere sinebat: Sed præter lectionum & precum exercicia, assiduis operis & pensis distributis, agere aliquid, & honestis laboribus, ad Oeconomias deinceps regendas præparari volebat.

Sic coniugij cursum, annos vnum & viginti, cum marito Principe, grauissimis laboribus & curis Gubernationis, & difficultatibus alijs, & tandem etiam multis ægrotudinibus & morbis languefacto, confecit. cui, prompto & alacri animo, summaq; assiduitate & constantia, officijs omnibus, quæ requirunt ægroti, interdium noctuq; continuatis adfuit, nec ab eius latere se vnquam auelli passa

passa est. Quo tandem vi ac concursu
morborū superato ac extincto, etsi acer-
bissimum ex principis mariti immaturo
ex hac vitâ discessu mœrorem capiebat :
tamen consideratione voluntatis diuinæ,
certa & definita vitæ spacia singulis con-
stituentis ; & beatæ cum D E O consue-
tudinis, ac lucis, sapientiæ, tranquillitatis
& lætitiæ diuinæ, in quam, ex inquietæ,
& perpetuis curis & angoribus obnoxia
Gubernationis molestijs Princeps mari-
tus à Deo euocatus erat, se consolabatur,
& verè ac sanctæ Viduæ, sperantis in Deo
& permanentis in precibus, & assiduâ
lectione & auscultatione verbi & conso-
lationum diuinarum, ad quam à teneris
annis adsueuerat, se sustentantis, speci-
men ac exemplum erat.

Sic quindecim adhuc annos, post
mariti principis obitum, vt Turtur à
compare relicta, in solitudine & mœstitia
recreationem & voluptatem præcipuam
ex lectione & meditatione verbi diuini,
& Generosissimæ indolis filiorum, qui
tutorum consilio tum educabantur, con-
spectu, cum licebat, & colloquijs literarū
inter absentes, quærebat, & multis egen-
tibus, in præfecturis alimentorum loco
ipsi attributis, benefaciebat.

Laborauerat auté multis iam annis,

B 5

ex

ex defluxionibus assiduis, anhelitus & respirationis difficultate. Quæ tandem ingrauescens, perpetuam ferè decumbendi aut sedendi necessitatem Dominae attulit. Quo toto morbi tempore, nullâ indignationis aut impatientiæ frementis aduersus Deum significationem ostendens, animo placido & tranquillo, qualis in reliqua vita esse solebat, Dei se voluntati & clementiæ commendabat.

Scio, inquit, quæcunq; hunc morbum cause vel occasiones mihi attraxerint, tamen non casu me, nec causis secundis tantum, sed Deo sciente & volente, aut certo consilio permittente, ægrotare. Sicut Christus ipse, ne capillum quidem à capite nostro, sine voluntate patris nostri in cœlis, decidere adfirmat. Cumq; quotidie precata sim, vt Dei voluntas fiat, reuerenter me voluntati Dei subijciam, & sub manu ipsius potenti humiliabo. Scio enim DEVM mihi Patrem propitium & clementem esse, vt in quotidiana inuocatione eum compello, & me credere in Deum patrem omnipotentem profiteor. Sicut enim pater filiorum, ita Dominus timentium eum miseretur. ac vt ego non possum obliuisci filiorum, quos sub corde meo gestauit? ita Deus se piorum ipsum inuocantium, nunquam obliturum testatur.

statur. Quare me quoq; indignam filiam
suam, filij ipsius sanguine redemptam,
paternâ beneuolentiâ & fide complecti-
tur, & morbis hisce me castigat, non vt
perdat, sed vt agnitionem peccatorum
meorum, & pœnitentiam veram, ac Fi-
dem in misericordia Dei propter filium
mediatorem, pro nobis mortuum & re-
suscitatum nobis placati & propitij ad-
quiescentem, & veram inuocationem, ad
Deum velut ad patrem *Ειλόσοργον* con-
fugientem, & spem vitæ ac salutis æter-
næ, & cæteras virtutes in meo pectore
accendat, probet, augeat, & ardentiores
ac firmiores reddat. Quæ in valetudine
prosperâ & rebus secundis sepe remittūt,
& frigidiores ac segniores fiunt, & pau-
latim prorsus extinguuntur. O beatam
igitur me ancillam, cuius emendationi
Dominus instat, cui dignatur irasce, quam
admonendi dissimulatione nō frustratur.
O beatam diem illam, cūm ex his assiduè
peccandi periculis, in non peccandi secu-
ritatem constituar. Facile quidem potest
me Deus ex his morbis clementer libe-
rare. Verūm quid adferet mihi longius
vitæ spacium, quàm vt plura mala tūm
videam, tūm audiam, tūm etiam ipsa per-
petrem & perpetiar. & tamen paulò post
misera hæc vita deserenda est. Constat
enim

enim æterna positumq̄; lege est, vt im-
motæ sapientiæ & iustitiæ suæ ordine iu-
stissimo, DEVS naturam peccato polluta-
tam, Morte destrui & aboleri, & renouari
per resurrectionem velit. Hæc igitur
vnica mea & summa consolatio est, quod
Beatam, omnium bonorum complexio-
ne, cunctis secretis malis, VITam cœle-
stem ac æternam, mihi à Deo patre, pro-
pter filium pro me passum, mortuum ac
resuscitatum, per Sp. S. ministerium
certo donatum iri credo. Huius melioris
vitæ desiderium ardens & serium, vt in
nobis nimio mundi huius amore demen-
tatis Deus accendat: & tædium aliquod
ac odiū præsentis vitæ assiduè peccantis
& omnibus miserijs obnoxia adferat:
tot morbis alijsq̄; ærumnis hanc morta-
lem vitam onerat & adfligit.

Vt autem Christus ipse per cruciatus
& mortem in gloriam suam ingressus est:
ita nos quoq̄; , cum omnibus sanctis, hac
in parte, conformes fieri imaginis filij
Dei oportet, & per multas misérias in
Dei regnum intrare. Cumq̄; Deo patri
cœlesti, ingens nostra infirmitas, omnium
optimè nota sit: promissiones suæ pater-
næ beneuolentiæ, præsentia, auxiliij,
mitigationis, dulcissimas ac efficacissi-
mas, in verbo suo nobis proposuit, &
pro-

promissionū ac Gratię suę sigilla, Baptis-
mum, Absolutionem & cœnam Domini
adiunxit. in quibus, omnia filij Dei bene-
ficia, non solum communiter & genera-
tim, vt in concione Euangelij, sed singu-
lis in specie exhibet, applicat & obsignat.
sicut cœna Domini in primis hanc summā
consolationem & Nucleum Euangelij
repetit ac infigit animis, quod Filius Dei
vnigenitus, seipsum pro nobis in mortem
dederit & preciosum sanguinem suum
pro nobis effuderit, vt nobis ab æterno
interitu redemptis, remissionem pecca-
torum, resurrectionem ex morte, & vi-
tam ac salutem æternam donaret. Hanc
consolationem se toto pectore amplecti
aiebat, & imbecillam fidem suam à Deo
augeri, & ardentio rem reddi orabat, &
vfu Sacramenti subindè confirmabat.

Tales Illustrissimæ Dominae nostrę,
toto hoc morbi tempore, sermones, &
colloquia cum ministro Ecclesię, & do-
mesticis, fuerunt. Quibus vota & preces
ad Deum ardentes assiduè miscebat, inter
quas tandem, ex domicilio corporis de-
bili ac ruinoso, Anima sancta & Deo
cara, placidissimè in æternam Dei ac Ec-
clesię cœlestis consuetudinem (die 6.
Februarij, quo ipso mense, Illust. illius
maritus Princeps IOhannes Albertus
ante

ante 15. annos decesserat) emigravit. vbi
nunc beata, & ab omnibus morbis, ab
omni dolore & angore libera, conspectu,
sermonibus & sapientia DEI & Seruato-
ris sui Iesu Christi læta fruitur, & in cœtu
cœlestium Dominarum, Euæ, Abigaelis,
Mariæ matris Christi, Annæ matris Ma-
riæ, & similium versans, suam quoq;
matrem Dorotheam, & maritum princi-
pem Illust. Ioannem Albertum, amore
multò puriore & ardentiore, quàm in
his terris, complectitur; & filios ex se
natos, & totius Illustrissimorum Ducum
Megapolitanorum familiæ, & harum re-
gionum salutem, Deo commendat.

Et si autem de beatâ hac & placidâ
migratione, & DEI æterni ac infiniti
Boni fruitione, quem Illustrissima Prin-
ceps nostra nunc coràm videt, & sine fine
videbit, sine fastidio amat, sine vlla fati-
gatione laudat, & laudabit in omni æter-
nitate, meritò ei gratulamur: tamen
nostra causa dolemus, has ditiones: com-
muni matre, tot eximijs DEI donis or-
nata, priuatas esse. Sed gratias potius
DEO agamus, quòd longo ordine, mul-
tis iam sæculis, & nostra etiam memoriâ,
Principes his terris bonos, moderatos,
iustos & salutare, & Heroinas, pietate,
modestiâ, casto pudore, & alijs virtutibus
ornatas,

ornatas, & filios gignentes effigie faciei
& virtute parentibus similes, tribuit. Me-
moriam quoq; Illustrissimæ Principis
Dominæ nostræ grati conseruemus, &
exempla pietatis, fidei, castitatis, mode-
stia & aliarum virtutum, ex illius vita
sumamus & imitemur.

Oremus etiam toto pectore Filium
DEI, autorem & custodem ordinis Poli-
tici, & principum Bonorum, vt deinceps
etiam his regionibus Megapolitanis cle-
menter adsit, & veræ religionis, virtutis
ac doctrinæ studia & pacē in his gentibus
seruet, & Illustrissimos Principes no-
stros, eorumq; coniuges, & liberos gene-
rosissimos regat, & incolumes ac flo-
rentes perpetuò seruet, & nos
singulos doceat & gu-
bernet.


D I X I.



Omniaque illa signantur etiam factis
 et virtus parentum dicitur, etiam in
 morum quibus illis dicitur Principis
 Domini vultus grati continentur, et
 exempla pietatis, libel, castitatis, modestie
 et aliorum virtutum, ex illis vultu
 sumantur et continentur.
 Omnia enim toto potest Filium
 Dei, quoniam de eiusdem ordine factis
 fieri et principum potentiam, ut deinceps
 etiam in his regionibus hisque dicitur
 inveniatur, et vera religionis virtus
 et doctrina, libel et pietas in his regionibus
 fuerit, et illis dicitur Principes no-
 stos, comitum, coniuges, et liberos gentes
 nobilissimos reges, et in volumine ac ho-
 mines perpetuo fuerit, et nos
 Angulus dicitur et Gu-
 bernator.


DIXI






47¹³ / 9, 13

(X2204877)





ORATIO

IN FVNERE

Illustrissima Principis
ANNÆ SOPHIÆ,
coniugis IOHANNIS AL-
berti Ducis Mega-
politani.

EST Imonium prouidentiaē ac praesentiaē Dei, in Heroicā Ducum Megapolitano- rum familiā, eximium & singulare agnosco, & gratā mente ac voce praedico, quod multis iam seculis, inclytam horum Principum stir- pem, continua serie, per illustres Heroas certā sancti coniugij lege ac ordine sibi mutuò succedentes, vsq; ad Illustrissimos & optimos Principes IOHANNEM & SIGISMVNDVM AVGVSTVM fratres, quorum ille cum Illustriss. Prin- cipe patruo VLRIKO, Senatus Impe- rij Germanici Nestore, patriam hoc tem- pore gubernat, clementer propagauit. & inter varias ac multiplices imperiorum ac totius generis humani mutationes, & familiarum Regiarū interitus (vt nostra

A 2

& pa-

